



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

Synodvs Landavensis III. Svb Ovdoceo Tertio Landauensi episcopo, ab ostio Guy vsque ad ostium Tiui, Landauiae congregata: Qua Guidnerth fratrem in causa regni interficiens, excommunicatus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

<sup>ANNO CHRISTI</sup> 560. dicum de malefacto suo cum summa satisfactione.  
Et plena Synodus, praesentia Oudocei episcopi, iudicauit propter orbitatem regni, ne fieret sine protegente clypeo domini naturalis, peregrinationem illius ieuniis & orationibus & eleemosynis redimere, simul cum homicidio periurium expurgare. Et rex Morcant assensu seniorum Morcannuc posuit manum suam super quatuor euangelia & reliquias sanctorum, tenente illa Oudoceo; & promittit in primis se emendaturum de praedicto facinore sicut praedictum est, ieunio & oratione & eleemosyna: & insuper promittit se nunquam tale quid amplius facturum, & se in omnibus regalem iustitiam misericorditer aetrum. Iuncta ei poenitentia ad modum facinoris, & ad illius qualitatem, quantitatem, potentiam; & data sibi communione Christiana, ablata prius sibi ab episcopo Oudoceo, clamauit tres congregations Catoci, Ilduti, Docunni, liberas ab omni regali seruitio, Deo & sanctis Teliauo, Dubricio, Oudoceo, & omnibus successoribus suis: & ita cum omni sua dignitate & priuilegio SS. Dubricii, Teliaui, in perpetua consecratione ecclesiarum Landauiarum, & utrem mellis, & lebetem ferream, quae ecclesia S. Ilduti regi debebat reddere, quietam rex Morcant clamauit, &c.

---

### SYNODVS LANDAVENSIS III.

S V B O V D O C E O T E R T I O

Landauensi episcopo, ab ostio Guy usque ad ostium  
Tiui, Landauiarum congregata:

*Qua Guidnerth fratrem in causa regni interficiens,  
excommunicatus est.*

**S**CITOTE carissimi fratres, quod in tempore Oudocei episcopi diabolica admonitione occidit Guidnerth fratrem suum Merchion causa contentionis regni, & perpetrato homicidio, fraticida excommunicatus est a beato Oudoceo, & a Synodo congregata ab ostio Guy usque ad ostium Tiui Landauiarum, & ita remansit depositis crucibus ad terram simul, & cymbalis versis tribus annis sub eadem excommunicatione, & ex toto, sine aliqua Christia-

norum cōmunione. Finitis tribus annis requisiuit veniam apud beatum Oudoceum; & data ei venia, misit eum in peregrinationem vsque ad archiepiscopum Dolensem in Cornugalliam, propter veterrimam amicitiam & cognitionem quam sancti patres habuerunt antecessores sui inter se, S. Teliaus, *viz.* & S. Samson archiepiscopus primus Dolensis ciuitatis. Et propter aliam causam, eo quod ipse Guidnerth, & Britones, & archiepiscopus illius terræ, es- sent vnius linguae & vnius nationis, quamuis diuiderentur spatio terrarum; & tanto melius poterat renuntiare scelus suum, & indulgentiam require, cognito suo sermone.

Post hæc data sibi remissione cum sigillatis literis, redit ante caput anni ad patriam & ad beatum Oudoceum. Et quia nondum fecerat annum quem promiserat in exulatu, neque finierat, noluit illum absoluere, sed potius in eadem fieret excommunicatione, non seruato ab eo primo iugo pœnitentiæ: manente eo in eadem præuaricatione & excommunicatione, ante finem anni S. Oudoceus famosissimæ vitæ episcopus Landauia transiuit ad Dominum. Cui succedit Berthguinus Landauia, quem Morcant rex simul & Guidnerth requisiuerunt apud Landauiam cum multis senioribus Morcannuc, uno ore deprecantes episcopum, videntes cruces adhuc depositas ad terram, simul & reliquias cum cymbalis super Guidnerth, vt veniam daret Guidnerth fraticidæ, & vt solueret excommunicationem, eleuando cruces de terra & reliquias sanctorum.

Post hæc Guidnerth promittens emendationem vitæ suæ amplius in ieunio & oratione & eleemosyna, fusis lacrymis cum magna deuotione, absolutus est de episcopo, & iuncta sibi pœnitentia plenaria ad modum culpæ. Postmodum Guidnerth memor diuini sermonis, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum; donauit Deo & SS. Dubricio, Teliau & Oudoceo, & in manu Berthguini episcopi, & omnibus successoribus suis ecclesiæ Landauia Lann, Catquala, Tye, cum omni sua tellure, cum silua, & cum maritimis, & cum omni sua libertate sine ullo censi homini terreno, nisi ecclesiæ Landauia & pastoribus eius, & cum refugio suo in perpetuo. De clericis testes sunt, &c.

NICETII